

1793.6.
612

ORDINARIUS
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS
PROCANCELLARIO
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANN

I. V. D.

CATHEDRALIS ECCLESIAE MARTISBURGENS. CANONICO CAPITVLA
COD. PROFESSORE ORD. COLL. ICTOR. SENIORE, ACADEMIAE DECEMVIRO

SVMMOS IN IVRE HONORES

CVM SPE

SVO TEMPORE LOCVM IN COLLEGIO
OBTINENDI

PRAECLARISSIMO CANDIDATO

CHRISTIANO WINCKLERO

LIPSIENSI

ARTIVM MAGISTRO ET IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO

A. D. XXX. MARTII MDCCCLXXXIII

COLLATOS

INDICVNT

ELECTORVM

CAPVT I.

*De vsu linguae latinae in vita civili causisque
maxime publicis.*

Qui seculo XVI. Imperium R. G. magna cum laude rexit, CAROLVS V. linguae latinae, quam olim puer, frustra monente atque etiam vrgente praeceptore, postea, adscito HADRIANI VI. nomine, ad Pontificatum maximum electo, magnopere auersatus fuerat, ignarus fuisse fertur; idemque, cum aliquando oratio latina ad eum haberetur, ipse autem nihil eorum, quae audiebat, intelligeret, submissa voce magnoque cum gemito: *Bene, ita fore, mihi prædixit Hadrianus, (Hadrien me le dij'oit bien)* susurrasse memoratur.

Hoc ipsum mihi nuper in mentem veniebat, cum, quantopere nostro hoc tempore multi, non modo ex plebe, sed viri etiam, qui docti videri volunt, linguam latinam oce-

IV

rint atque fastidian, animo mecum perpenderem. Aut magnopere fallor, aut tempus veniet, quo, si non omnibus, certe plerisque illis contemtoribus dicendum erit: Profecto haud putassem, fore ut fastidium illud incommodo mihi cedar, aut damnum adeo adserat! In causas autem huius odii si quis inquirat, varii eas generis esse reperiet. Alii enim, quod ipsi haud didicerunt, in aliis etiam ferre non possunt, haud secus, ac vulpecula illa in fabulis, quae, ut caudae sibi interceptae dedecus alieno cohonestaret exemplo, ceteras quoque vulpes enixe cohortabatur, ut pariter eam sibi abscederent, quippe non vsui futuram, sed oneri. Alii tempus rebus impendere malunt ludicris atque futilibus, quam operam dare, ut linguam addiscant, cuius ignorationem sibi nocere haud posse existimant. Alii denique dedecori sibi ducunt, scholas frequentare grammaticorum, sequentur DONATI adstringere regulis, suum, ni fallor, facientes versus illud, quod legitur in c. 13. dist. 18. *indignum vehementer esse, ut verba coelestis oraculi restringantur sub regulis Donati.*

Frustra sane esse et incassum laborarem, si eiusmodi hominibus praestantiam linguae latinae,^{a)} cuius nullum glutum

a) De usu et praestantia latinae iit. Plures, qui hoc pertinent, linguae legi in primis meretur VB. scriptores laudat I. M. HEINZIVS FOLIETA, cuius liber c. praef. I. in *Synagm. Opusc. var. arg.* (Goett. L. MOSHEMIX Humb. 1723. prod. 1788.) p. 90.

stum habent, persuadere, aut commoda, quae inde ad remp. redundarunt, maxima e rerum gestarum memoria, quam aequem contemnunt, ostendere vellem. Nihilo enim minus in suo, quem semel inbiberunt animoque conceperunt, persistentes errore efficent, ut sordis auribus fabulam narrasse videar. Non amplius, dicerent, praeterito vivimus seculo; quo nemo inter doctos censemur, nisi idem linguam probe didicisset latinam, sed seculum agimus XVIII. idque fere absoluimus. Aliud autem tempus alios mores postulat. Nam, qui hodie linguae gallicae vel mediocriter gnarus est, citius emerget, quam si omnes Romanorum lecythos exforbuisset, omnesque latini sermonis elegantias inhibisset, adeo ut vel cum **TULLIO** de principatu contendere queat.^{a)}

Fortasse autem plus apud illos efficiam, si usum linguae latinae praesentem, maximasque utilitates, quas etiamnum apud omnes cultiores gentes praefat, breuiter strictiusque ostendero. ^{b)}

De lingua latina cum loquor, non intelligo barbaram illam, qua olim vtebantur homines de familia **DOMINICI**, quaque vti hodie solent nonnulli, qui nomen suum inter

A 3 eruditos

b) Exstat quidem I. C. ZEVNTI lum cum hac nostra nihil habet com. *Prolatio de usu latini sermonis*, Lips. mune. 1775. typis excusa, sed praeter titu-

VI

eruditos profiteri haud erubescunt. Facilius sane obscurorum virorum intelligas epistolas, quam scripta nonnulla, quae quidem initio late splendent, mox autem in forum abeunt, vbi thus venditur et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis. Quidam olim Abbas, monachos suos redarguens, ita ad illos scripsisse fertur: *Fres, fres, vos ad multum foratis, vos ad multum potatis; haec res in longum non faciet bonum.*^{c)} Haec fere scribendi ratio est, quae in quibusdam cernitur libris, qui auctoribus suis admodum videntur elegantes, quibusque hi magis sibi placent, quam si opus aliquod omni aere perennius exigissent, aut ex pugna Leuctrica viatores abiissent. Absolum esset, in eiusmodi hominum scriptis veneres quaerere PETRONII, aut elegantiam CICERONIS, a qua ferreo hocce seculo plerique longissime recessimus. Quotquot autem ne ita quidem scribere possunt, ut intelligantur; quorum scripta, singulis fere paginis, barbarismis, soloecismis ceterisque orationis vitiiis scatent, a quibus denique miser PRISCIANVS quotidie vapulat: nac illi melius facerent, si manus a filio penitus abstinerent, neque intelligentioribus sese deridendos paeberent. Cum tanta iam laboremus librorum copia, cum quotidie prodeant novi, et inter hos interdum nonnulli etiam boni; qui quae scripto.

c) Conf. I. A. ALDENIVS de varia linguae Larinae fortuna, Caelestae 1775. p. 64.

scriptores illi vltima ex cauea spem possunt concipere, charatas suas, allium olentes, non dicam aetatem laturas, sed vel inter mediocres locum inuenturas esse? Noui ego Aristarchum aliquem paulo seueriorem, qui, quoties eiusmodi ad eum defertur libellus, quantocys illum, ne ipse etiam inficiatur, abiicit, muribusque, vti ait, deuorandum relinquit. Bene I. C. RÜCKER in *Opusc.* p. 225. *Res etiam praestantissimae fordan et taedium mouent felicioribus ingeniis, si horrida et barbara dictione, velut impura veste, inuoluantur: cum ea, quae culto sermone, comataque explicitantur oratione, sponte se insinuant animumque demulcent.*

Equidem saepenumero miratus sum, qui fiat, vt cum maximam adolescentiae partem, i. e. optimos vitae nostrae annos, linguae latinae addiscendae impendamus, paucissimi tamen vel probabiliter scribere discant, et ne stilum quidem NEPOTIS, a cuius lectione plerumque initium capimus, adsequi audeant. Mirari autem desii, postquam partim multorum praecceptorum incitiam, partim plerorumque discipulorum, non vitae, sed scholae se discere opinantium, negligientiam in animum mihi reuocauit.^{d)}

Sed

d) Vtrisque commendanda est I. *commendatur*, in eius *Opusc.* Lips. T. KREBSII *Prolilio*, qua lectio ann. 1778. edit. no. 16. Nec negligendi *poetae*, vt eleganter docuit PAV.

LINVS

VIII

Sed ut eo iam redeamus, unde paululum discessimus, loquor hic de sermone latino probabili itaque comparato, ut a quolibet, latine docto, continuo et absque difficultate intelligi queat. Hunc ego dico non modo omnibus, qui supra vulgus sapere volunt, maxime necessarium esse, sed in vita etiam ciuili causisque publicis tot tantaque praefastare commoda ac emolumenta, ut nulla sit lingua, quae cum latina de principatu iure contendere queat. Haud quidem me fugit, hanc ipsam mortuis vulgo adnumerari, propterea quod nulla hodie sit regio aut prouincia, vbi eadem ab omnibus ciuibus s. incolis et sermocinando et scribendo visurperur. Quodsi autem cogito, linguam latinam a) omnium totius Europae (ne quid de reliquis orbis terrarum partibus dicam) eruditorum communem esse, ab iisque seu sermocinantibus seu scribentibus frequentari, b) quotidie non modo in scholis grammaticorum et auditoriis publicis, sed passim etiam in foro atque iudiciis audiri, c) haud raro denique ipsa in templo Principumque palatia penetrare; equidem illis,

qui

LINVS A S. JOSEPHO in Or. de studio poetarum ad litteras et eloquen- dio iuris Romani, Ultraicet. 1697. tiam necessario, inter eius Orat. no- itemque TH. G. IRMISCH Idyllion das, Lips. 1753. editas, no. 3. Conf. super contemnu latini carminis, Pla- etiam CORN. VAN ECK Or. II, de viae 1791. Latina nostratum carmi- studio poetices, coniuncto cum sua- na defendit etiam I. F. CHRIST in Noct. Academ. p. 158. sq.

qui linguam latinam mortuam esse dicunt, ad stipulari haud possum. Quia quidem in re laetor consentientem me habere I. M. HEINZIVM, virum nuper ad prime doctum, in *Synstagm. opusc.* p. 97. ita sribentem: *Vulgarem istam linguae mortuae appellationem mallem relinquim imperitis et inconfiderate loquenteribus, quam usurpari a viris doctis, de linguis, qualis graeca est et romana, quae in infinita multitudine recentium pulcherrimorumque librorum vivunt et spirant, et vim virtutemque suam ubique gentium quotidie ostendunt.* Si loquendum de linguis mortuis, detur id nominis iis, quarum nullae aut valde tenues sunt reliquiae; quales orientis prisci multas, et plerasque antiqui occidentis esse nouimus.

Quae cum ita sint, ego quidem nec linguam latinam pro extera aut peregrina habendam censeo. Erunt fortasse, quibus haec quaestio inanis nulliusque momenti esse videatur. Mihi certe nequaquam. Ecce! enim in *Ord. Proc. Sax. Rec. Tit. 25. §. 3.* sanctam est, ut omnia instrumenta, lingua aliqua extera aut peregrina scripta, antequam in iudicio producantur, ab interprete iurato in linguam vernaculam transferri debeant. Iam, producto instrumento aliquo latino, quaerebatur, an hoc etiam germanice vertendum sit? Plerisque hoc quidem affirmandum esse videbatur; ego contra negabam, propterea quod nec iis, qui apud nos ius dicunt, linguam latinam ignorare fas est, nec ICti, ad quos

Acta sententiae fecendae causa mittuntur, versione germanica opus habent.

Quandoquidem autem de usu linguae latinae in vita ciuili causisque maxime publicis dicere instituimus, age, in rem praesentem iam veniamus, exemplisque non longe petitis, sed recentissimis et ob oculos versantibus causam nostram defendamus:

Quotquot in rerum gestarum memoria non plane hostipes sunt, aut iuris scientiam vel a limine salutarunt, eos latere haud potest, multas leges, non modo peregrinas, sed in solo etiam germanico natus, quibus etiamnum in foro vtimur, sermone latino exaratas esse.^{e)} Iam ex te, cui latinae tantopere ferdent litterae, ut eas vel ad ultimos Garantes relegandas putes, quaero, qua ratione tu, seu causarum patroni, seu iudicis persona tibi sustinenda sit, legibus illis recte vti, causisque obuenientibus eas rite applicare velis. Alienis fortasse videbis oculis, aut miseram aliquam versionem in auxilium vocabis? Neutrum profecto virum decet probum, seu aduocati, seu iudicis munere fungatur. Sin te haud pudeat, ex macilento aliquo compendio sapere

aut

e) Praeter collectiones iuriis Rom. Halae 1738. editum, cui adde Barbarorum leges antiquas, cum ioris et glossariis, cura F. P. CANCIANI, Venetiis 1781—1792. Vol. V.

aut ius dicere, tunc illicet, conclamatum nihilque bonaे spei reliquum est. Quare, si tuum explere velis officium, nihil superest, nisi ut leges, in quibus versaris, ipse intelligas artisque ex regulis, prout decet, interpretari possis. Ad commentarios, systemata atque compendia quod attinet, ego fere omnibus abstineo libris, quibus ius Romanum, Pontificium, et Longobardicum germanice exponitur, propterea quod fieri vix potest, ut leges latine scriptae lingua vernacula, deficients verbis ad exprimendas merces illas peregrinas aptis, recte explicitur. Plerique sane eorum, qui eiusmodi libros in publicum ediderunt, aut ignorantie latini sermonis, aut studio nouandi, ut scilicet noui aliquid dixisse videantur, infastum hunc laborem suscepisse mihi videntur. Ego certe, si res mei esset arbitrii, maximam eiusmodi librorum partem e rep. ICtorum proscriberem, propterea quod doctis nihil proficiunt, indoctis autem non modo multos errores, sed saepenumero studium etiam litigandi atque calumnjandi instillant, studiosos denique recta a via, ad Themidos sacra ducente, deflectunt atque in deuia periculosa abducunt.

Ad haec maximus linguae latinae usus in summis etiam deprehenditur Imp. tribunalibus, coram quibus (nisi singularis obstet ratio) omnes causae atque lites ex provinciis, ubi non germanica, sed alia lingua in usu est, ad illa delatae la-

tino sermone tractantur et ventilantur. Duplex scilicet est idioma Imp.^{f)} germanicum puta atque latinum, quorum alterutrum, et praeterea nullum, in omnibus negotiis Imp. publicis adhibendum est. Quoties igitur linguae vernaculae locus haud datur, roties sermone latino, nunquam autem gallico, italico, aut alio quoconque, vii fas est. Qua de re ut iudicari facilius possit, iuuabit, ni fallor, ipsa legum Imp. hue pertinentium verba adscribere. Ac primum quidem in *Ord. Cam. Imp. P. II. T. 34. §. 6.* (in SCHMAVSSII C. I. P. A. p. 579.) sancitum est,

daß hinsürter die Unterrichter die in französischer Sprache geschriebenen Akta selbst oder durch andere unpartheische translatores, die der Sache kündig, aus der französischen Sprache in die lateinische transferiren zu lassen, und also acta translatæ zu ediren und den Partheyen mitzutheilen schuldig seyn sollen.

Deinde in *Ord. Conf. Imp. Auf. Tit. 3. §. 5.* (ib. p. 917.) legititur:

Ferner soll in dergleichen Parthey-Sachen keine Schrift in anderer Sprache, dann deutsch und lateinisch, bei dem Reichshofrath

f) De idiomate Imp., sigillatum Comitiis Imp. R. G. Ienae 1753. nec scriptis L. C. LYNCKER, Ienae 1687. non F. W. HOFMANNI Ols. quaed. itemque I. I. SVRLAND, Erfurt. 1754. iur. et proc. Camerae Imp. Goet. 1786. Conf. etiam EWALD DE KLOP- cap. 5. MANN Or. de vñ lingua. latin. in

XIII

hofrath angenommen werden, es wären dann etwa acta appellationum, documenta, Zeugen-Aus sagen und dergleichen, so zwar in der Sprache, darinnen sie geschrieben, anzunehmen, aber es soll dabei eine beglaubte und von der Obrigkeit versiegelte und approbierte Translation in deutscher oder lateinischer Sprache stets mit produciret werden.

Postremo in Cap. Caes. art. XXIII. §. 3. g) haec continentur verba:

Wir sollen und wollen auch in Schriften und Handlungen des Reichs an unserm Kaiserl. Hofe keine andere Zunge noch Sprache gebrauchen lassen, dann die deutsche und lateinische, es wäre dann an Orten außerhalb des Reichs, da gemeinlich eine andere Sprache in Uebung wäre und im Gebrauch flünde; jedoch sonderlich lextern Falls in alle Wege an unserm Reichshofrath der deutschen und lateinischen Sprache unablässig.

Atque hinc nec in aula Imperatoria, nec in Comitiis Imp. aliquisque Statuum conuentibus, nec coram summis Imp. tribunalibus, quotiescumque res Imp. agitur, alia lingua, ac germanica, aut, vbi haec locum haud inuenit, latina vsurpatur. De provinciis aequa ac causis, quae sermoni latino locum faciunt, I. I. MOSER in Commentat. von dem Recht der

B 3

teut-

g) Vid. Capitular. noniss. quae Mogunt. 1792. prod. p. 103.

XIV

teutſchen Sprache cap. III. f. 13.^{b)} vberius exposuit. Pertinent scilicet eo omnes caufae ex Episcopatibus Leodiensi et Tridentino, nec non Abbatia Stabulensi, Iudicioque Trevirensi, in vicinia Augustae Ebororum (*Lüttich*) fito, ad iudicia Imp. delatae, nec non caufae Italicae, itemque priuilegia, quae vocant, impressoria, super libris latino aut peregrino aliquo sermone scriptis data. Referunt quidem nonnulli huc eriam caufas praebendarum, primariarum precum, nonnullasque alias, ab *VFFENBACHIO* u. *R. Hof-Rath Cap. 19. Sez. I. p. 247.* memoratas. Sed his contradixit *MOSERVS l. c. p. 462.* docens, eiusmodi caufas, nisi ad prouincias modo recensitas pertineant, interdum lingua etiam germanica tractari.

Haec omnia autem etiamnum vſu reapsi seruari, exempla recentissima passim obvia satis testantur. Ita paucis abhinc annis (sc. 1786.) Senatus Imp. Aulicus Principi et Episcopo Tridentino exprobrabat, quod contra praescriptum et obseruantiam quadam in causa idiomate germanico vſus esset, vt refert *I. A. REVSS in d. T. St. C. P. XVIII. p. 344.*

In celebri illa caufa Leodiensi Camerae Imp. anno 1789. offerebatur libellus, a *C. F. HOFFMANNO* e gallico in latinum sermonem versus, hoc titulo:

De

b) In eiusd. *Vermischten Schriften* (Frankf. a. Leipzig 1733.) P. I. no. 2.

*De rebus Leodiensum nouissimis fūmplex et diſtūcida expositio
Auguſto Cameræ Imperialis Iudicio, triū Ordinum Leo-
dienſum nomine, d. 5. Oct. 1789. obſlata,*

quem idem exhibet REVSSIVS in d. Deduktions- und Urkunden-
Sammlung, P. VI. p. 179. Cum autem interpres inter alia
his verbis: *Leodienſes foedere cum Imperio inito*, usus esset,
idem, sententia d. IV. Dec. 1789. publicata, haecce verba,
ut pote maiestati Imperatoris atque Imperii contraria, quan-
tocius delere, et hac in causa (singulares ob rationes) in po-
stulum lingua vñ vernacula iussus est;¹⁾ ipseque HOFFMAN-
NVS mox, cognito suo errore, breuitate temporis, ad ver-
sionem istam concinnandam ipsi praeſiniti, se excusauit.²⁾

Cete-

i) Verba sententiae hue perti-
nentia ſunt:

Sodann wird D. Hoffmann, den in
der ſogenannten vera facili reprä-
äsentatione gebrauchten, der Hebeit
Kaiserlicher Maieſtät und des Reichs
zu nabe tregenden Ausdruck „Leo-
dienſes foedere cum Imperio inito“
ſogleich auszubrechen, nicht
weniger den Verfaffer dieser Schrift
unverzüglich in der Kanzlei anzu-
zeigen, auch ſich häufig in dieser
Sache der deutſchen Sprache zu be-
dienen, nachdrücklich erinnert, etc.

k) Ait ſcilicet HOFFMANNVS
l. c. p. 267. Der Ausdruck: „Leodien-
ſes foedere cum Imperio inito“
ſollte das in altrömischen Latein an-
derten, was in neuern iurifizischen Stil
durch *ne zu cum Imperio* (durch
das Reichsverband) beſtimmt würde
ausgedrückt worden ſein. Aber in ei-
nem Zeitpunkt, wo man von Arbei-
ten fast erdtike wird, ift es unmög-
lich, bei jedem Worte die Waagschale
der Kritik zur Hand zu nehmen. —
Certe foederati Romanorum, qui et
tocii dicebantur, non erant Roma-

XVI

Ceterum LEOPOLDVM II. Imp. sub finem anni 1790. ad. Episcopum Leodiensem eadem in causa litteras dedisse Latinas in ephemericibus publicis relatum legimus.¹⁾

Causas feudorum vasallorumque Imp. Italicorum Latino tractari sermone, exemplis recentissimis comprobavit J. A. REVSSIVS in d. T. St. C. P. XVIII. p. 127. sq. vasallisque Imp. exteris omnibus, qui linguae germanicae sine fraude expertes esse possunt, litteras in uestitutae Latinas exhiberi G. E. L. PREVSCHENIVS^{m)} docuit.

Nec

nis subiecti (vulgo subditi), sed populi liberi, qui non nisi ex lege. foederis aliquid praestare tenebantur. SVETONIVS in Aug. c. 47. l. 7. D. de capitu.

1) Conf. etiam C. I. SEYFERTS Magazin für das deutsche Staats- und Lehnrechte P. IV. no. 3. p. 63. vbi exhibetur Sententia Camerae Imp. in causa Decani Brasiliensis et Cleri Leodiensis contra Canonicum Barceli, etc. publ. d. 21. Maii 1788. itemque Relatio Leodiensis eadem in causa ad Iudicium Camerae, Imp. d. d. 25. Aug. 1788. utraque verbi Latinis expressa; nec non litteras Prioris Monasterii Romani, in Heluetia siti, ad comi-

nia Imp. (Promemoria die Beschwerden des Priorats von Romainmoutier wider die Franzößischen Nationalfahne, die in der Französischen -Comté gelegene Einkünfte desselben berr.) no.

1791. gallice scriptas, vna cum versione Latina, in I. A. REVSSII reuter. Lehnrechts-Cawzeli P. 29. no. 3. m) in Commentat. v. d. Gebräuche der lateinischen und deutschen Sprache in dem Lehnrechte und in den Lehnbriefen, in A. F. SCHOTTI, I. W. B. Part. I. p. 136. Ita etiam edictum, quod LEOPOLDVS I. Imp. anno 1697. per legatum suum, Com. DE MARTINTZ, Romae ad Palatium Imperiale adfigi curabat, quoque

XVII

Nec silentio hic praetereundum, quod monet I. I. Mo-
SERVS *l. c. p. 465.* omnibus pro instrumentis lingua latina
exaratis, seu ob latini sermonis praestantiam, seu eiusdem
difficultatem, duplices sportulas soluendas esse.

Haud minus, quando Imp. eiusue nomine Consilium
Imp. Auticum rescribit aut mandata dat Commissario Imper-
atoris in Italia generali (*Plenipotentiarium vulgo vocant*),
non nisi lingua latina hoc fieri solet. De munere ac potesta-
te Plenipotentiarii Imperatoris in Italia nuper dixit I. A.
REYSS *l. c. p. XVIII. p. 204.*

Quantum ad litteras exteris ad principes dandas, di-
stinguitur ita, vt si illi simul sint Status Imp. ad eosque,
quatenus tales sunt, scribatur, vernacula, si minus, latina
lingua usurpetur.ⁿ⁾

Vicissim ab exteris etiam Principibus rebusque publicis
in causis, ad Imperium quae pertinent, ad Imperatorem
scribentibus lingua latina adhibenda est; cumque Rex Gal-
liae (nuper ehen⁹ rebus humanis eruptus) ad litteras latinas
ab Imp. in causa Alsatica 1790. ad ipsum datas gallice rescrip-
tisset, id non modo aegre tulerunt Electores, sed ipse etiam

Imp.

que Vasalli Imp. Italici indicem feu-
dorum ac iurium suorum exhibere
inbebantur, sermone latino exara-
tum erat. Integrum editum exhibi-
buimus *Adversar. L. III. p. 166.*

n) Vid. MOSER *l. c. p. 465.*

C

XVIII

Imp. ideo in litteris vterioribus, mense Dec. 1791. ad regem Galliae missis, his verbis questus est :

*Quo maiore studio ac maturiore deliberatione omnia, quae
huc faciunt, penitus auimus, eo magis dolenus, Maiestatis
vestrae responsoriam iustissimae expectationi nostrae non satis-
fecisse. Praeterquam enim, quod exarata fuerit idioma
contra morem in negotiis Imperium inter et regnum vestrum
occurrentibus receptum, etc. ^{o)}*

cuius rei mentio quoque fit in decreto Caesareo (*d. Kaiserli-
chen Kommissions-Ratifications-Decrete*) eodem mense ab Imp.
ad Comitia misso. ^{p)}

Fere praeteriisse, sollempne iuriurandum ab Imp. re-
cens electo praestandum non modo lingua vernacula, sed
sermone etiam latino, et hoc quidem primo, praestari sole-
re, quod nuper etiam factum esse novimus ex libello, cuius
titulum in margine adscriptimus, ^{q)} p. 155. ut nihil iam di-
cam de precibus publicis ante consecrationem noui Regis

Rom.

^{o)} Vid. *Journal von und für Deutschland* 1791. St. 9. p. 800.

sonst bei dergleichen öffentl. Hand-
lungen zwischen beiden Reichen bei-
behaltenen Sprache abweiche, etc.

^{p)} Verba sunt:

*Ihro Röm, Kaiserl. Maiestät hätten
zwar sehr bedauert, daß die erhal-
tene Königl. französische Antwort
in der Form von dem anerkannten
bewährten Herkommen und der*

*Vid. Historisch-Politisches Magazin,
B. XI. St. I. no. 3.*

^{q)} *Merkwürdigkeiten bei der römi-
schen Königswahl und Kaiserkrönung;
Gotha, 1791. et denuo 1792.*

Rom. recitari solitis, nec non de quaestionibus, quae illi proponuntur, eiusdemque responsione, quippe quae omnia sermone latino peragi solent. Formulas idem exhibit liber p. 140 sq.

Praeterea notandum, a) cum in Consilio Imp. Aulico, tum in Cancellaria Imp. ita vsu seruari, ut causae latinae se parentur a causis germanicis, diuersisque a scribis calamo excipiuntur, quod die *lateinische und deutsche Expedition* vocare solent; b) relationes exploratorias (*die Proberelationes*) ab iis, qui ad munus Assessoris Camerae Imp. adspirant, exhibendas, sermone latino exarandas esse, c) formulamque iuris iurandi ab iis, qui Aduocati Camerae fieri volunt, praestandi duplensem, cum latinam, tum germanicam, in *Ord. Cam. Imp. P. I. Tit. 76.* exhiberi. Conf. MOSERVUS l. c. p. 444. 452. et 465.

Quodsi iam ad veteres chartas, tabulas publicas, instrumentaque, foedera, pacificationes, transactiones eiusque generis alia continentia, oculos conuertamus, fungus sit oportet, qui de usu linguae latinae hodierno in causis, qua priuatis, qua publicis, adhuc dubitare possit. Antiquis temporibus eiusmodi chartas in Germania quoque latine scriptas esse, omnes uno ore confitentur. De tempore autem, quo lingua vernacula primum instrumentis publicis applicari coeperit, non yna omnium sententia est. Plerique

XX.

idioma germanicum a temporibus RUDOLPHI I. Imp. in Germania inualuisse opinantur. Sed recte monuit Mose-RVS L. c. p. 40z. etiam post RUDOLPHI I. tempora non modo multa instrumenta, sed nonnullas etiam leges Imp. sermone latino scriptas fuisse, cuius rei vel Aurea Bulla CAROLI IV. fidem facit.¹⁾

Quot quaeſo etiamnum e ſitu ac puluere paſſim protrahuntur litterae inueniturarum latine scriptae, quae in iure clientelari utramque paginam faciunt? Quid memorem varias tabulas pacis, praecipueque *Instrumentum Pacis Westphalicae*, nec non *Pacis Badensis*, itemque *Viennensis*, et quidem duplicitis, ſcilicet tam eius, quae anno huius ſeculi XXV. quam recentioris, quae anno XXXVIII. condita fuit. Quid memorem reliquias chartas latine scriptas, quae ingenti illo,

quod

1) Conf. I. C. GATTERER de *Epoche linguae theorifcae in pul. Imp. constitut.* (in *Commentat. Societ. Reg. Scient. Goett.*, *bifloriae et phisiologicae classis*, Tom. III. (Goetting. 1781.) p. 17 qui ait, constitutionem pacis publicae, no. 1235. in comitiis Moguntiniis a FRIDERICO II. Imp. editam, non latine, ſed germanice scriptam eſſe, ideoque pro prima omnium Imperii constitutionum lin-

guar germanica editarum, recte haberi. Eiusd, commentator de linguae germanicae epocha diplomatica extat ibid. Tom. II. p. 52. Jg. Diploma LOTHARII Imp. super conſeſſione insignium a. 1128. datum, ideoque germanice scriptum, memorat auctor commentat. von Wapenbriefen in I. C. SIEBENKEESIX *Beträgen zum teutschen Rechte Pars. V.* p. 70.

quod DUMONTIO debemus, *Corpo diplomatico*,^{s)} itemque LEIBNITII *Cod. iur. gent.* SCHMAVSSI *Corp. iur. publ.* nec non *Corp. iur. gent.* aliisque eius generis collectionibus^{t)} magno numero continentur? Plane etiam persuasus sum, sermonem latinum, vtpote nulli amplius mutationi obnoxium, pactis publicis exprimendis aptissimum esse, cum contraria ex parte lingua gallica non modo, quod ad rationem scribendi attinet, subinde mutetur, sed haud raro nouis et iam vocabulis, aut recens inuentis, aut aliis ex linguis in eam translati, augeatur. Haud quidem ignoro, nostris temporibus gallicum interdum sermonem praet latino placuisse, quo instrumenta publica, e. g. *Pax Tischenensis*, scriberentur. Idem vero scio, has ipsas tabulas pacis iamiam diuersis interpretationibus et versionibus locum fecisse.^{u)}

C 3

Quare,

^{s)} DUMONT *Corps universel diplomatique du droit des gens*, à Amst. 1726. sq. Tom. VIII, vna cum *Supplément*. Vol. V. ib. 1739. editis.

^{t)} Eo etiam pertinent P. E. SPIESSII *Aufklärungen in der Geschichte und Diplomatik* (Bayreuth 1791.) pag. 179. sq. Usus linguae latinae nec hodie liberas inter gentes cessare, exempla recentissima, in libro elegantissimo, qui sub Tit.

Essai sur les Consuls. On y a joints les Traités de commerce et de navigation les plus récents, comme aussi l'ordonnance du Roi de France pour les consuls du Levant, du 3. Mars 1781. par Mr. de Steck, Berolini 1790. prodit, p. 391. 392. et 421. obvia, docent.

^{u)} Vid. I. ST. PÜTTERTI *Hist. Entwicklung der heutigen Staatsverfassung des T. R. P. III.* p. 200.

XXII

Quare, si res mei esset arbitrii, nunquam non auctor sua-
forque foreim, vt eiusmodi instrumenta latino potius, quam
gallico aut alio sermone scribantur. Ingenue celeberrimus
quondam MENAGIVS,^{v)} eti ipsé Gallus, satis esse dixit,
in concinnando opere, quod aetatem ferre debeat, sermone
vti latino, quam gallico, eandemque CANGII fuisse senten-
tiam, vtpote his verbis expressam:

Visturus Latium debet habere liber.

Quod consilium si sequi par est in scriptis priuatis, nonne
multo magis in scriptis publicis locum inuenire debet?

Supereft, nonnulla subiiciam exempla, quibus de uſu
linguae latinae recentissimo non modo in Germania, sed et-
iam extra eam apud alios Europae Principes ac populos,
conſtarē queat.

Ita

v) In Menagianis Tom. I. p. 78. II Schicksale der Litteratur P. I. p. 269.
y a plus de force à écrire en latin Sane nec hodie inter Gallos defunt,
qu'en françois, pour faire un ouvrage de dure. qui linguae latinae iustum pretium
C'ezoit le sensimens de statuant. Ita nuperime eam com-
Monsieur du Lange: *Visturus Latium* mendauit COMES DE MIRABEAU,
debet habere liber. Eodem modo et- Vid. *Travail sur l'éducation publique,*
iam iudicarint SIGONIVS de rej- trouué dans les papiers de Mirabeau
iendo uſu linguae latinae, aliquique Painé, publié par P. J. G. Cabanis,
complures. Vid. DENINA über die Docteur en medicine. Paris 1791.

Ita cum paucis abhinc annis Potentissimo Prussiae Regi
praestandum esset homagium, pars Ordinum regni germani-
cice, pars altera latine iurarunt.

Cum anno 1790. LEOPOLDVS, Hungariae Rex, ad
coronationem Hungaricam invitandus esset, Archiepisco-
pum Coloccensem hoc ipsum oratione latina peregitte, in
litteris publicis relatum legimus. Quid, quod cum anno
proxime superiore nouus Hungariae Rex vna cum Augustis-
fima Coniuge a deputatis Hungaricis ad coronationem in-
vitaretur, ipsa etiam Regina illis non modo latine respondit,
sed durante quoque prandio aut coena sermone latino cum
iisdem collocuta est.

Haud minus, cum anno 1791. Serenissimo Duci Gotha-
no a legato Anglico ^{w)}) tessera ordinis periselidis sollemniter
trade-

w) Atque ita iis quoque, qui legatorum munere fungi volunt, lingua
latina exaratis, exhibet I. A. REVSS
in d. T. St. C. P. V. p. 207. Litteras
autem commendatitias Pri VI. P.M.
pro suo ad Comitia Electoralia nunc-
cio, I. S. MAVRI, Archiepisc.
Nicaeno, nec non litteras ipsius
MAVRI eadem ad comitia pro im-
petrandis restituzione Ciuitatis Aue-
nionensis et Comitatus Venaissini,
vrasque ao. 1792. latine scriptas,
adiecit

XXIV

traderetur, inaugurationem, praemissa a legato oratione latina, peractam esse accepimus.

Eodem anno Equites Curlandiae deputatos mittebant Varsouiam, petitum delegatos ad componendas lites inter ipsos et ducem Curlandiae subortas; deputatosque hocce desiderium in Comitiis oratione latina exposuisse nunciabatur.

Eodem sermone vtebatur Archiepiscopus Mechliniensis, cum ao. 1791. litteras, quas vulgo pastorales (*einen Hirtenbrief*) vocant, mitteret ad clericos ipsi subiectos, eosque hortaretur, vt dignos *Dei pacis* ministros sele praeborent, Caesarique darent, quae Caesaris essent.

Ita etiam in descriptione sollemnium coronationis Bohemicae, ao. 1791. peractae, multas formulas latinas canticaque latino sermone expressa me legere memini.

Et quid? nonne sapientissimus Poloniae Rex, cum sub finem eiusdem anni litteras daret ad Academiam scientiarum Berolinensem, cuius inter membra fuerat adscitus, sermone latino ysus est? quas quidem litteras,^{x)} vptore admodum elegan-

^{a)}ecit C. F. HAEBERLIN Appen- Lipsiaeque hoc ipso anno prodit) dici zu der pragmatischen Geschichte p. 420. sq.

^{b)} Wahlcapitulariou K. LEOPOLD II. (quae consilia super Capitulat. FRAN- x) In der Berliner Monatschrift EISCI II. Imp. Augustiss. continet, vom Jenner 1792. no. 7.

elegantes, nisi essent longiusculae, hic adscribere haud pi-
grarer.

Quorsum autem haec? Eo scilicet, ut sic luculentius
pateat, magnopere fallere et falli, qui linguam latinam in-
ter mortuas referunt, eaque nos hodie tuto carere posse exi-
stiment. Nae amens sit oportet, qui hoc, superiora si at-
tentre legerit, adfirmare audeat. Bene monuit I. A. ALDI-
NIVS l. c. linguam latinam cultissimis quibusque nationibus
semper in amore fuisse atque deliciis; doctorum atque erudi-
torum linguam semper appellatam esse, atque ita appella-
tum iri, donec primum litteris maneat; neminem adhuc ve-
re doctrinæ fama claruisse, quin eam adamauerit atque ex-
coluerit, neminem probe illam calluisse, qui rudis indoctus
que audierit; eos autem, qui nos labore eius addiscendae
leuare velint, reapse ad multo maiores operas adigere, cum
et gallicam, et anglicam, et alias linguis addiscere nos opor-
teat, si aut ab exteris nationibus intelligi, aut nosmet ipsi
eorum scripta legere velimus. Is denique, qui neminem
hodie, quod vere latinum sit, scribere posse existiment,
qui linguam latinam tanquam anum effoerant, turpem, ru-
gosam, edentulam, deliram, respunnt, iis, inquam, idem
iam satisfecit ALDINIVS, nouissimeque inter nostrates
I. M. HAINZIVS, cum in Syntagm. Opusc. var. arg.

p. 90. tum in *Sylloge scriptorum germanicorum*,^{y)} P. I.
no. 2.

Vos igitur iam compello, *dilectissimi Commititones*, hor-
torque, ne aures praebatatis iis, qui vobis persuasum eunt,
operae pretium haud esse, linguae latinae operam dare eius-
que studio bonas horas perdere. Haud, inquam, credite
illis: fallunt vos, quodque sibi deesse animaduertunt, vobis
quoque dissuadere conantur. Quis vñquam, non dicam
magnus, sed vel mediocris fuit ICtus, quin latine scuerit,
legesque, in quibus quotidie versaretur, non modo ipse in-
tellexerit, sed aliis etiam, si opus esset, interpretari potu-
erit? Semper animis vestris infixum sit, quod **TULLIVS**

ait,

^{y)} Vid. I. M. HEINZENS *Prüfung einer französischen Abb. des Alts. Delavaux von der neuen lateinischen Sprache (in dessen kleinen deutschen Schriften, Th. I. Gött. 1729 no. 2.)*. Ceterum nihil hic dico de formulis medicorum latinis, quibus vti solent in praescribendis morborum reme-
diis. Reste enim, si quid video, hunc morem nuper improbauit C. A. IETAN. FILANGIERIVS in *Sytem. legislat.* P. VI. p. 253. cuius verba, quae hic legantur, dignissima sunt. Sermo, inquit, hic mihi non
est de institutione ad intelligendas formulas illas obscuras atque per-
plexas, quibus medici in praescri-
bendis morborum remediis vntuntur,
necessaria. Evidem rationem istam,
mentem suam notis sigilliisque expri-
mendi, et medicis et apothecaris
graue, praetereaque maxime am-
biguam, plane abolendam censeo.
Nae praecipta illa medica (vulgo
Recepte) maxima perspicuitate scri-
benda sunt, valdeque conduceret,
ea in re lingua vti vernacula.⁴

ait, castitatem orationis optimasque disciplinas homines non
in foro demum discere, sed doctos in forum venire debere.
Praecipue autem, siue latine vobis scribendum sit, siue ger-
manice, ante oculos, rogo, habete illud QUINTILIANI
Inst. Or. Lib. VIII. cap. 2. Nobis prima sit virtus perspicuitas,
propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio, ni-
hil neque desit neque superfluat. Ita sermo et doctis probabilis,
et planus imperitis erit. — Quare non solum ut intelligere pos-
sit, sed ne omnino possit non intelligere, curandum. RAPHAEL
EVLOGOSIYS (haud incelebris quondam juris interpres) in
fragmento aliquo IVL. PAVLI explicando occupatus, cum
diu vngues rodendo caputque scalpendo misere nihil tamen
extricasset, indignabundus taedem et minitabundus fertur
exclamasse: *Iste maledictus PAVLVS adeo obscure loquitur,*
vt vix intelligi possit: Si illum haberem in manibus, per
*capillos eum interrogarem.*²⁾ Non opus vobis ad latine lo-
quendum aut scribendum est priuilegio, quod imperrandum
olim fuit Cumanis, vt refert LIVIVS *Lib. XL. cap. 42. 2)* sed
cuilibet hoc licet nulla impensa, qui modo fiduciam studio-
rum suorum habeat. Si qui autem fortasse sint, qui ad pri-
mum perfectionis gradum se peruenturos esse desperent,

D 2

eorum

2) Verba LIVII sunt: *Cumanis SCHMIDT über das Privilegium la-*
eo anno perensis permisum, ut pa-
reinisch zu reden, Gießen, 1786.
blice latine loquerentur. Vid. C. H.

XXVIII.

eorum quisque teneat, quem poterit, cursum, propterea quod, ut recte CICERO,^{a)} prima sequentem honestum est in secundis teruisque consistere.

Haec quidem praesari placuit, cum indicendi essent honores, Viro praeclarissimo atque consultissimo,

D O M I N O

CHRISTIANO WINCKLERO
LIPSIENSIS:
ARTIVM MAGISTRO ET IVRIS VTRIVSQUE
BACCALAVREO

qui suo tempore locum in collegio nostro obtinebit, a nobis collati. Ne quem autem lateat ratio, qua vitam suam, laudabiliter adhuc actam, instituerit, ipsum audire iuuabit ea de re ita exponentem:

*Natus sum Lipsiae ac d. XVIII, Martii A.C. MDCLXIX.
patre Godofredo, aedili, senatore, et mercatore ciuitatis Lipsiae,
matre Ioanna Henrietta, Schmidii, iuris utriusque Doctoris,
filia. Horum integrorum parentum curam, quam inde ab
incunabulis in me educando, animoque et ingenio ad optimam qua-
vie informandis posuerunt, piue et obseruidae mentis cultu prae-
dictos,*

a) CIC. in Orator. cap. II.

dico; et pro beneficiis; quorum tot tantaque mihi contigisse laetor;
 ut ipse animi gratissimi sensum verbis nullo modo satis celebrare
 possem; gratias omnes; quas animus concipere potest; effundo
 ipsasque has tabulas publicum reverentiae et pietatis monumentum
 esse cupio; summum numen supplex orans; ut eos vita longissima;
 omnique felicitatis genere cumulata senectute perfaci jubeat. Pri-
 ma litterarum rudimenta; doctrinae Christianae morumque prae-
 septa e domesticis institutionibus haui; priuatae disciplinae Hoe-
 feri; Himleri; ac Kühnii commissi; quorum valde laudo operam;
 humanitatem ac benivolentiam. Aīnum agens decimum quartum
 scholam Nicolaitanam adiī; ibique praecceptores habui Martinium;
 Rectorem; et Forbigerum Conrectorem; quibus a me plurimum
 deberi gratus profiteor. Deinde anno MDCCCLXXXVI. b. Rei-
 ziū tunc Rector; ciuium Academicorum numero adscribere me
 non dubitauit. Ab eo inde tempore studiorum meorum non mode-
 ratorum tantum; sed et adiutore usus sum Fleckio; iuris utriusque
 iam Doctore; cuius amicitiam haud exiguum et insignem erga me
 ffauorem; curamque; qua me variis iurisprudentiae partibus pre-
 muse ac sedulo imbuī; grato animo in mentem reuoco. Philo-
 phiae addiscendae causa Platnerum et Cæsarem adiī; Historiam a
 Beckio atque Witando traditam accepi; in Mathematicis disciplinis
 Hindenburgum secutus sum. Ingenium meum in tractandis litter-
 ris humanioribus; in primis latine scribendo ac differendo; exer-
 cuerunt Beckius ac Reizius; cui et priuatum adsedē de linguae lati-

XXX

nae indole praecipienti. In iure Naturae Sammetum, eundemque
in iure publico Vniuersali, in iure ciuili Bienerum et Sammetum,
in iure Germanico priuato et iure Criminali b. Schottum, in iure
Publico Imperii Romano-Germanici Bienerum, in iure Feudali
Rauium et Bienerum, in iure Pontificio et Ecclesiastico hodierno
Schottum, in Ordine Iudicario Schottum et Fleckium, in arte
Referendi ex commentariis iudicium Fleckium, nec non in differendi
et examinandi exercitationibus Bienerum et b. Richterum duces
optimos et antecessores mihi obtigisse laetor; quorum omnium in
me erudiendo operam grata laetaque mente veneror. Ita studio-
rum cursu abfoluto, ad disputandum proposui dissertationem: De
iure Regio recipiendi Iudeos Iudacorumque in Saxonia
Electoral iuribus et obligationibus, eamque anno MDCCXC.
praefide Ill. Bienero publice defende. Paulo post, electionibus so-
tennibus super cap. XVI. X. de iure patronatus et L. I. C. de pre-
cario et Salu. interd. institutis, ad examen primum, quod pro
Candidatura vocant, admissus, iuris vtriusque Baccalaurei digni-
tate ornatus sum, eodemque anno Magistri artium honores ac iura
Amplissimi ordinis philosophorum decreto impetravi. Duobus
annis praeterlapsis examini rigoroso, quod dicunt, me subieci,
quo feliciter superato ab Illustri Jurisconsultorum Ordine, ut sum-
mos in utroque iure honores mihi tribuat, decenter petii.

Hunc

Hunc igitur, superato magna cum laude vtroque examine, nec non defensa nuper diss. *de interruptione usu capionis at praecriptionis sollemni, editisque specimenibus omnibus, recens creatum Doctorem, multis nominibus valde commendabilem, nostris iamiam adscriptum, eaque omnia, ut par est, rite peracta fuisse, maioris fidei causa hocce programmate, sigillo Collegii nostri firmato, significamus. P. P.*
Ipsa Fylo Paschatos MDCCCLXXXIII.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.




R382

ALTEACKAIX & HICEROS X

Leipzig, Diss; 1793

ULB Halle
004 350 43X


3



f TA-202

hier Seite 6. hinterverknüpft

KDP



1793.6.
612

ORDINARIUS
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS
PROCANCELLARIO
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANN
I. V. D.
CATHEDRALIS ECCLESIAE MARTISBURGENS. CANONICO CAPITVLARI
COD. PROFESSORE ORD. COLL. ICTOR. SENIORE, ACADEMIAE DECEMVIRO
SVMMOS IN IVRE HONORES
CVM SPE
SVO TEMPORE LOCVM IN COLLEGIO
OBTINENDI
PRAECLARISSIMO CANDIDATO
CHRISTIANO WINCKLERO
LIPSIENSI
ARTIVM MAGISTRO ET IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREO
A. D. XXX. MARTII MDCCCLXXXIII
COLLATOS
INDICVNT